



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani**

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuissimè explicantur

**Gavanti, Bartolommeo**

**Antverpiæ, 1646**

De Duplici. I.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40214**

obtulit in pane azymo, in Cœnaculo  
Sion. Eadem docet *Pamelius Tom. 1. Liturg. Eccles. Latine.* neque dicas, Jacobum celebrasse primam, de *Consecrat. d. 1. cap. Iacobus*, ex Synodo *Sexta*; quia Petrus ordinem præscripsit, Iacobus euulgauit: quomodo con-

ciliat *Scriptores Vualden. lib. de Sacrament. tit. 12. cap. 28.* & de Petro absolute docent *Clem. Epist. 2. Isidor. lib. 1. de Offic. cap. 13.*

e *De Festo Duplici, &c.* ] Quid sit Festum Duplex, &c. dicemus cum de Rubricis Breuiarij.

## De Duplici. I.

**M**issa dicitur de Duplici illis diebus, quibus in Calendario ponitur hæc nota, Duplex, & in Festis mobilibus, quandocumque Officium est Duplex. In Duplicibus dicitur <sup>f</sup> una tantum Oratio, nisi aliqua commemoratio fieri debeat. Alia omnia dicuntur, ut in propriis Missis assignatum est. Quando dici debeat Gloria in excelsis, & Credo, inferius ponitur in propriis Rubricis.

f *Una tantum Oratio.* ] Vide infra tit. 9. de Orationibus, cur una tantum.

## De Semiduplici, &amp; Simplici. II.

**M**issa de Semiduplici dicitur, quando in Calendario ponitur hæc vox, Semiduplex. Præterea in Dominicis, & diebus infra Octauas. In Semiduplicibus tam Festis, quam Dominicis, & infra Octauas dicuntur plures Orationes, ut infra dicetur in Rubrica de Orationibus. <sup>g</sup> Infra Octauam dicitur Missa sicut in die Festi, <sup>h</sup> nisi propriam Missam habuerit; in Dominicis vero, sicut in propriis locis assignatur. De Simplici dicitur Missa sicut de Semiduplici, ut suis locis ponitur.

g *Infra Octauam.* ] Octaua namque est eiusdem Festi prorogatio, teste *Radulpho Tungrensi de Canonum obseruat. Propos. 19.*

h *Nisi propriam Missam habuerit.* ] Ut infra Octauas Paschæ, Pentecostes, & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli accidit.

## De Feria, &amp; Vigilia. III.

<sup>i</sup> **M**issa de Feria dicitur, quando non occurrit Festum, vel Octaua, vel Sabbatum, in quo fiat Officium B. Mariæ. In Feriis tamen Quadragesima, Quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum, etiam si Duplex, vel Semiduplex Festum, <sup>i</sup> vel Octaua occurrat, in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis <sup>k</sup> cantantur due Missæ, una de Festo post Tertiam, alia de Feria post Nonam.

Missæ